

depressa intricatave et ab ea insuper capitulis triplò minoribus, achæniisque rostro filiformi superatis nec erostratis diversissima.

CEPHALORRHYNCHUS Boiss.

Capitulum pluriflorum. Involucrum cylindricum biseriale serie externâ triplò breviori calyculiformi. Receptaculum nudum. Achænia vix compressa sub lente striata minutèque tuberculata rostro eis breviori filiformi apice capitato-incrassato superata. Pappus piliformis scaber albus uniserialis. Setæ in discum basi coalitæ suprà eum demùm ruptæ fugacissimæ et rostrum disco breviter fimbriato superatum persistens reliquentes.

CEPHALORRHYNCHUS GLANDULOSUS Boiss.

Planta annua specimina majora *Crepidis pulchræ* mirè referens. Caulis 1-2 pedalis foliosus ramosissimus acutè striatus fistulosus, rami pendunculique pilis patulis rigidis apice glandulosis asperi. Folia infima quorum reliquias jam exsiccatas tantùm vidi in petiolum attenuata, caulina media et superiora e basi latiori sessili auriculato-cordatâ oblongo-lanceolata subrepanda acuta, majora triplicaria ferè pollicem lata, suprema minora lanceolata acuminata omnia subrepando-dentata vel integra glabrescentia. Capitula in corymbos laxos compositos terminales disposita pedunculis eis æqualibus basi bracteâ subulatâ suffultis incidentia. Involuci glabri phylla lanceolato-linearia viridia seriei exterioris 5-6 ferè triplò minora, interioris 8na 5 lineas longa lineæ $\frac{3}{4}$ lata angustè albo-marginata attenuata apice obtusiuscula nigricantia sub lente ciliatula achæniis deciduis demùm reflexa. Flores non vidi. Achænia in capitulo 7-8 nigrescens teretia angulato-striata subincurva infernè subangustata glabra minutè tuberculis in parte superiori achenii sub lente aculeolatis obsita ferè 2 lineas longa, attenuata in rostrum viride filiforme lineæ $\frac{3}{4}$ longum cum achænio veluti articulatum facileque ab eo solubile apice incrassatum in corpusculum pyriformi-hemisphæricum supernè planum centro umbonatum e pappi setis basi coalitis ortum. Setæ te-

nuissimæ albæ scabræ uniserialis paululùm suprà basin fructu maturò ruptæ secedentes et tunc rostrum disco margine tenuissimè albo-fimbriato coronatum.

Hab. in *Sipyllo* suprà *Magnesiam* ubi fructiferum Julio 1842 legi.

Genus curiosum cuius flores hucusque ignoti sunt e *Lactucearum* tribu, propè *Lactucam* collocandum cui involucris et achæniis in rostrum filiforme abruptè attenuatis affine est sed ab eà distinctissimum achæniis non compressis et præsertim pappi setis in capitulum supernè discoideum basi coalitis paulò suprà basin ruptis fugacissimis nec ut in *Lactucā* cum achænii rostro semper persistentibus.

CREPIS BITHYNICA Boiss. (Sect. *Hieracioides* DC.)

Cr. perennis acaulis, scapo ascendentē flexuoso foliis vix longiore nudo aut foliolo linearī instructo dicephalo rariū monocephalo pilis patulis rigidis aliisque brevibus glandulosis asperulo, foliis omnibus radicalibus parcè pilis subeglandulosis asperulis in petiolum attenuatis runcinato-lyratis lobis inferioribus dentiformibus brevibus superiori maximo rotundato-obtuso, pedunculis glandulosis, involuci squamis nigricantibus ad medium parcè farinaceo-tomentellis cæterū glabris lanceolato-linearibus, eis seriei exterioris paucis dimidiò brevioribus, ligulis subtūs concoloribus, achæniis tenuibus flavescentibus columnaribus striatis pappo niveo molli eis breviori coronatis.

Hab. in herbidis regionis alpinæ *Olympi Bithyni* ubi Aug. 1842 legi.

Radix longè fibrillosa. Folia cum petiolo bipinnicaria apice 3-5 lineas lata. Scapus 2-3 pollicaris flexuosus, capitula eis *Cr. virentis* paulò majora. Achænum lineas 2 $\frac{1}{2}$, pappus ferè 2 lineas longus. Inter species affines *C. Armena* DC. differt foliis obovatis acutè incisis, scapo erecto brevi monocephalo, indumento glandulosissimo; *Cr. heterotricha* DC. inter alios characteres capitulis duplò majoribus; *Cr. Columnæ* glabritie, radice præmorsâ, scapis elongatis monocephalis, etc.

HIERACIUM MACROTRICHUM Boiss. (Sect. *Piloselloidea*.)

H. perenne totum præter pilos stellatos minutissimos parcissimos sèpè evanidos ciliis albidois longissimis patulis flexuosis e tuberculo,